



A Indogarus discipulus fuit S. Galli. Eum cum magna diligentia audiret & eius uirtutes æmularetur, in uirum doctissimum euasit. Itaq; cum eo tempore, anno septingentesimo sexagesimo, Campidonense nobile monasterium fundaretur, ipse primus eius loci abbas electus est. Sunt aliqui qui eum Theodorum uocarunt. Hanc functionem Aindogarus suscipiens, magna prudentia longo tēpore administrauit, atque omnia summo ordine in eo loco disposuit. Nam ibi scholam publicam erexit, atque discipulis certos præceptores constituit. Alios uerò orationibus & omnis generis uirtutibus uacare iussit. Hoc modo factum ut iuuentus

optimè educaretur, atque gloria Dei illustraretur. donec tandem moriens, beatorum consortium accesserit. Anon. in Episc. August. Tossone. Monasterus libro 3.